



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 1. De dignitate Christiani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)



Aprilis.

CONSIDERATIONES CHRISTIANÆ.

pro singulis Anni diebus.

A P R I L I S.

DIES I.

De dignitate Christiani.

I.



Quid est Christianus? est Homo, qui peculiariter respicit Deum Patrem, cujus filius per Baptismum evadit. Quid majus, quid sublimius esse potest? quod Christus est è natura, id Christianus est ex adoptione. In sua, ut ita loquar, regeneratione spiritali accipit id, quod certo modo Verbum accipit in generatione æterna: accepimus enim, ut S. Paulus ait, *spiritum filiorum adoptionis*, vi cujus Deum appellare Patrem nostrum audemus, quippe qui verè filij, & hæredes Dei sumus. Generatio Christi, inquit S. Augustinus, archetypon est regenerationis nostræ

Rom. 8.

v. 15.

*Ea gratia
fit ab initio*

A

per

Aprilis.

*fidei Homo
quicumque
Christianus,
qua Homo
ab initio fa-
ctus est Chri-
stus. Aug. de
Præd.*

*Eodem spiri-
tu replente
fontem, qui
replevit*

& Virginem.

S. Leo serm.

4. de Nativi.

*Vos estis Cor-
pus Christi,
& membra
de membro.*

1. Cor. 12.

v. 27.

per Baptismum factæ. Utraque eandem ha-
bet originem, nempe spiritum sanctum.
Una contingit in utero Mariæ Virginis si-
mul, & Matris; altera in gremio Ecclesiæ
puræ juxta, ac sæcundæ. Scopus primæ
est Christus, id est Homo-Deus. Secun-
dæ Christianus, quod idem est, ac Homo
divinus. Potuissetne Deus, inquit S. Jo-
annes, potentioribus amorem suum argu-
mentis nobis testari, nostramque gloriam
altiùs evehere, quàm dum verè Dei filios
nos effecit? possumusne ingrati nostri ani-
mi majora dare indicia, quàm ignominiam
creando gloriosæ huic dignitati, scelerata
æquè, ac probrosa vivendi ratione?

II. Quid est Christianus? est Homo,
cujus à natura insitum est, ad Christum essen-
tialem habere relationem, cujus ipse mem-
brum est. Quid gloriosius? omnes Chri-
stiani, inquit Apostolus, non nisi unum
conficiunt corpus, cujus caput est Chri-
stus. Atque hujus capitis membra sunt
virtute Baptismatis eos Christo unientis,
unione verissima, cum articulum fidei con-
stituatur; unione re ipsa constante, quia ejus
principium est spiritus sanctus: duo hujus
unionis termini sunt Christus, & quivis
Christianus; nexus, quo colligantur, sunt
fides & charitas. Effectus illius sunt om-
nia

nea

nes gratiae, quas Christianus in Baptismo accipit. Quid verius? unione prorsus intima, quia per eam spiritu Christi animamur; eadem enim vita, qua ipse, vivimus. Unione sublimissima, cum eam Servator comparet illi, quam ipse cum Patre suo habet: *Ego in eis & tu in me.* Adeo, ut, quemadmodum Apostolus ait, *fiamus divinae consortes naturae.* Nisi Christus Dominus, qui nobis has gratias conciliavit, ipsemet id asseverasset, possemusne credere? si verò credimus, quid fieri potest, ut non sublimiores animi sensus concipiamus, nec vitam fidei nostrae congruam agamus?

Aprilis.

Io. 17. v. 25.

2. Petr. 1. v. 4.

III. Quid est Christianus? est Homo, qui per Baptismum peculiarem habet relationem ad spiritum sanctum; cuius ipse Templum efficitur. *Nescitis, quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Imò in Baptismo iidem adhibentur ritus, qui in Templis consecrandis usurpari solent. Eijcitur diabolus per exorcismos ex anima illius, qui Christianus evadit. Consecratur per sacrum Chryisma ad indicandam unctionem gratiae, per quam spiritus sanctus se ipsius cordi infundit, ejusque possessionem adit per mysticum sacerdotis Baptismum conferentis afflarum, & quod consequens est, principium fit, & objectum

1. Cor. 6. 13.

Aprilis.

1. Io. 1.

cultûs illius, quem Christianus ei exhibet in hoc Templo per actus fidei, spei, & charitatis. Sanctus iste spiritus gemitibus tam efficacibus in eo orat, ut semper exaudiatur. ipse author est omnium actionum supernaturalium, quas Christianus exercet. Idcirco illæ tanti sunt meriti, ut tribuere nobis certumius possint ad possidendum Deum, neque quisquam est, excepto Deo, qui Dei possessionem tribuere nobis possit. Potestne Deus, quantumcunque potens sit, majori hominem honore afficere, quàm si eum filium Dei, membrum, & fratrem Hominis - Dei, & Templum spiritûs sancti, qui Deus est, efficiat? Imò S. Ioannes asserit, nos per Baptismum inire societatem cum Patre, & filio, & quod consequens est, cum spiritu sancto. Quàm gloriosa hæc est societas?

Conare cogitationes concipere, vitam agere, dignitati tam sublimi, ut illa est Christiani, consentaneam.

Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus.

Joan. 11. v. 3.

Agnosce, O Christiane, dignitatem tuam, & divinæ factus consors naturæ, noli in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire. *S. Leo.*

DIES